



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 29. Obitus Innocentii Papæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

quo Innocentius Alphonso, necnon Fi- Sæcul. XV.  
 lio ejus Principi Capuano, si Alphonfus A.C. 1492.  
 ante Ferdinandum Patrem suum vivis  
 eriperetur, Regni Neapolitani jura con-  
 cessit. Ibidem quoque legitur clientelaris  
 sponfionis sacramentum, quod summus  
 Pontifex a Ferdinando exsolvendum præ-  
 scripsit.

§. XXIX.

*Obitus Innocentii Papæ.*

Paulo post Innocentius VIII. Pontifica- *Onuphr. Es*  
 tum deposuit, rebus humanis ereptus *Ciac. in vit.*  
 Mense sequenti, die vigesima quinta Julii *Pontif.*  
 D. Jacobo sacra. A biennio, quo apo- *Papyr.*  
 plexia tactus jacuerat, adversa semper *Masson. in*  
 valetudine premebatur, cumque vis mor- *Inno. VIII.*  
 bi omnem medicinæ artem eluderet, Ju-  
 dæus quidam impostor a tribus pueris,  
 qui paulo ante emortui sunt, sanguinem  
 extraxisse, ac exinde pharmacum Pon-  
 tifici propinandum confecisse dicitur: Id  
 vero cum Innocentius rescivisset, tantum  
 nefas execratus, mox Judæum compre-  
 hendi ac poena affici jussit, qui tamen  
 præcipiti fuga supplicio se subduxit. I-  
 gitur Innocentius vitæ suæ finem insta-  
 re conscius, totam curam vertit ad pro-  
 curandam animæ salutem, eumque cadu-  
 cas hujus sæculi delitias generoso con-  
 temptu cum immortalitatis beatæ fi-

H h 3                      ducia



Sæcul. XV. ducia commutasse testatus est Leonellus  
 A. C. 1492. Episcopus, qui summi Pontificis mani-  
 bus in frequentissimo Cardinalium con-  
 ventu oratione funebri parentavit. Por-  
 ro Innocentius sumptis summa Religio-  
 ne S. Sacramentis, inter luculenta Chri-  
 stianæ pietatis signa animam Deo red-  
 didit, annos natus sexaginta, postquam  
 Ecclesiam universam rexisset annos se-  
 ptem, decem Menses cum viginti se-  
 ptem diebus. Ejus cadaver ad Eccle-  
 siam S. Petri delatum in monumento se-  
 pultum est, quod ei extruxit Cardinalis  
 Laurentius Cibo illius Nepos.

Hic Pontifex ante Papatum vocatus  
 Joannes Baptista Cibo, patria Genuensis,  
 summa sollicitudine educabatur, & jam a  
 primis unguiculis Neapolim mittebatur,  
 ubi diu inter Alphonfi & Ferdinandi Mi-  
 nistros versabatur, demum Romam de-  
 latus in conubernio fuit Cardinalis de  
 Bononia, qui Nicolai V. Papæ frater e-  
 rat, istius dein favore potissimum ad  
 præclaras dignitates ascendit, a Paulo II.  
 Savonensis, a Sixto IV. primum Mel-  
 fitensis Episcopus renunciatus, demum  
 septima die Maji Anno salutis septuage-  
 simo tertio supra millesimum quadrin-  
 gesimum Purpuratorum Collegio ad-  
 scriptus est. Postea grassante pestilentia  
 demandatam legationem Romanam,  
 Sixto



Sixto Papa urbem deferente, pacatissime Sæcul. XV.  
 administravit, Senensem quoque sum- A. C. 1492.  
 ma animi prudentia obivit: Horum i-  
 gitur meritorum suffragio ad summum  
 Pontificatum, Sixto IV. fatis erepto, die  
 vigesima nona Augusti Anno salutis mil-  
 leesimo quadringentesimo octogesimo quar-  
 to vocatus est. Sub primis Pontifica-  
 tus sui auspiciis dissidentes Italiæ Prin-  
 cipes feliciter conciliavit, & a Sede Apo-  
 stolica ob Prædecessoris sui severitatem  
 alienos ad obsequium Sedis Apostolicæ  
 reduxit, nilque intentatum reliquit, ut  
 Principes Christianos ad unien-  
 das vires in Turcas animaret, quamvis irri-  
 to plane conatu, nec alio laboris effectu, quam  
 ut aucto ærario Apostolico Neapolis Re-  
 gem armis in officium redigere value-  
 rit. Juvenis adhuc, necdumque sacræ  
 militiæ adscriptus uxorem duxit, ex qua  
 ad summum Ecclesiæ apicem evectus,  
 duos adhuc liberos superstites habuit,  
 nempe filium, nomine Franciscum, Lau-  
 rentii de Medicis filix inter alias ævi sui  
 specie ac pulchritudine celebratissimæ  
 desponsatum, quem etiam Papa Anguil-  
 lariæ Comitem & Pontificii exercitus  
 supremum creavit Præfectum; altera  
 proles erat filia nomine Theodora, quam  
 etiam multis opibus auxit; nec minus  
 liberalem se exhibuit ceteris propinquis  
 suis



Sæcul. XV. suis (\*) unde eorum affectu captus non-  
 A. C. 1492. nunquam, quæ æquitati parum conso-  
 na erant, egisse perstringitur.

## §. XXX.

*Tumultus, Papa mortuo, Romæ  
 excitati.*

Post hæc Cardinales, qui salubrioris  
 aeris gratia æstivo tempore ruri age-  
 bant, Romam reduces de Successore e-  
 ligendo conveniunt; ast non sine stupo-  
 re urbem conspiciunt infimæ fecis ho-  
 minum licentiæ expositam, qui spoliatis  
 ædibus plateas cædibus ac strage impu-  
 ne funestabant, adeo, ut Magistratus ne  
 hiscere quidem auderent, tumultuantis  
 populi furorem veriti. Præterea scele-  
 rati pro eo, quod preces ac pia suffragia  
 offerrent, in Pontificem recens defunctum  
 maledicta effundebant, inhumanamque  
 ejus erga pauperes agendi rationem ex-  
 probrabant. Cardinales, ut ejusmodi  
 insolentias compescerent, palatii Aposto-  
 lici custodiam demandant Garcilasso Tar-  
 ragonensi Archiepiscopo, Viro tuam no-  
 bilitate generis, quam consummatae pru-  
 dentia

(\*) Onuphrius tamen de Innocentio re-  
 fert: *Consanguineis parvum amoris indicium  
 monstrans eos opibus extollere non curavit.  
 In vita Innoc. VIII.*